



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CXXXI. Ioannis Papae VIII. Ad Berengarivm Comitem. Berengarii caritatem erga Romanam ecclesiam commendat. significat celebratam in Gallia Synodum, seque incolumem reuersum. monet vt ad se ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

sum regem affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem principem virum consultissimum, sibi que ex omni parte coniunctum dedit, vt nos saluos sine impedimento maledicti Lamberti in Urbem mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur, quatenus vestro de more relictis aliis omnibus curis, omnique occasione remota, ad nos præsentialiter venias, incitans etiam alios, quibus apostolicas literas mittimus, vt & ipsi similiter faciant. Quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi, vt sanctarum Dei ecclesiarum statum, & reipublicæ quietem vna vobiscum consideremus. tamen ante alios venire satage, vt quidquid cum aliis fecerimus, tecum familiariter antea terminare queamus. Data vt supra.

EPISTOLA CXXXI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BERENGARIUM COMITEM.

Berengarii caritatem erga Romanam ecclesiam commendat. significat celebratam in Gallia Synodum, seque incolumem reuersum. monet vt ad se venire festinet.

Dilecto filio Berengario illustri comiti.

RELATV nonnullorum audiuius, maxime huius Vvilonis comitis nostri consilarii, vt vestra deuotio caritatem, quam erga nos, nostramque ecclesiam, vestram videlicet matrem, semper habueras, magis magisque, adoleat: in quo gratias agimus, & vt proficias hortamur. Ecce enim audistis pro quibus in Gallia partibus Synodum celebrauimus, & Hludouicum regem gloriosum affati fuimus, qui nobis hunc Bosonem principem virum consultissimum, sibi que ex omni parte coniunctum dedit, vt nos, auxiliante Deo, saluos sine impedimento Lamberti maledicti, & a sancta Dei ecclesia anathematizati, in Urbem Romanam mitteret, cum quo nos pacifice pro certo venimus. Ceterum monentes mittimus, & rogantes hortamur, relictis aliis omnibus curis ad nos præsentialiter venire satagas. Quoniam, scit Deus, non ob aliud vos alloqui cupimus, nisi vt sanctarum Dei ecclesiarum statum, & quie-

tem reipublicæ cum honore vna vobiscum tractemus.
Data vt supra.

EPISTOLA CXXXII.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD HVGONEM.

Monet vt dissensionem inter Abbonem & alios
ortam fedet.

Hugoni abbati nobili, spectabili profapia genito.

QVIA multum vos diligimus, ideoque congratulor, ani-
ma vestra prospicimus, commonere curamus, * . . .
quoque, qua inter Abbonis episcopi parentes, & Rot-
bertum, atque Roclinum exorta est * . . . regali potius
* quam vindicta corrigatur; quoniam malum semel neces-
sitate patratum, non debet secundum necessitudinem ex-
piari ad delictum, sed misericordius remitti ad veniam
agat vestra gloriosa nobilitas, vt decet tantæ naturæ de-
centiam. Data vt supra.

* f. dissen-
sionem

* f. vt
* f. ele-
mentia

EPISTOLA CXXXIII.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD RAVERNATES.

Iubet vt ciuitatem contra Lambertum viriliter
defendant.

*Omnibus iudicibus & ducibus seu populo Rauennæ commo-
rantibus fidelibus nostris.*

INDVSTRIAM seu omnium fidelitatem nosse volumus,
quoniam relatu quorundam audiuimus, vt Ioannes dia-
conus chartularius deuiet, & francos Lamberti contra ele-
ctionem nostram conducatur: vnde mittimus apostolicaque
auctoritate iubemus, vt omnes vnanimis, vnaque fidelita-
te stare debeatis, & defendere ipsam ciuitatem, ita vt nul-
lus, qui vobiscum non stat*, francos, ibi conduci Lamber-
ti intus permittat ingredi, nec ipse Lambertus ibi quoquo-
modo accessus habeat, nec suus homo ibi intrare possit: ita
in his agite, sicut Dei & nostram gratiam habere cupitis,
quoniam qui aliter fecerit, & nostram iram habebit, &
mille byzanteos palatio nostro componet. Data vt supra.

* fort.
francos
ibi cum
duce La-
berto,
&c.

Concil. Tom. 24.

V ij